

stabilitam. Etenim harmoniæ præstabilitæ hypothesum ideo excogitavit Leibnitius, quod nullam inter animam & corpus dependentiam fingi posse crediderit, ac proinde non minus inter animæ volitiones quam perceptiones harmoniam præstabilitam admittere debuit. Neque tandem valet responsio motuum omnium seriem juxta liberam voluntatis determinationem a Deo fuisse prævisam atque ordinatam. Etenim cum nullam inter animam & corpus actionem admittant Leibnitiani, nulla ratione prævidere ac ordinare potuit Deus motuum omnium seriem cum libera voluntate consentientem. Si enim inter animam & corpus nulla dependentia intercedere possit, hanc Deus prævidere & ordinare non potuit. Si autem dependentia illa non repugnet, jam inutilis est harmoniæ præstabilitæ hypothesi, vel etiam ad causarum occasionalium systema facile posset revocari; quod tamen declinasse student Leibnitiani. Quæ cum ita sit, facile patet recentiores metaphysicos in explicanda corporis animæque societate nihilo feliciores fuisse antiquis, sed audaciores. Superest ergo ut arcani hujus fœderis leges infinita Dei potentia & sapientia constitutas ab intellectu nostro comprehendere non posse fateamur.